sim usitatam in Scriptura genitivus ille æquivalet adjectivo, ac si diceretur ad imaginem similem sibi. Ac denique Genes. 5, Adam dicitur genuisse filium ad imaginem et similitudinem suam, quæ verba non videntur posse in alio sensu declarari: ergo in eodem, similia de homine dicta accipi possunt. Et huic sententiæ favet Augustinus, in Imperfect. Genes. ad litter., cap. ult., ad fin., ubi refert quosdam distinxisse inter imaginem et similitudinem, dicentes quod licet prius dixerit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, nihilominus statim solum dici, *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*, quia tunc tantummodo ad imaginem factus est: similitudo autem illi postea reservabatur in resurrectione mortuorum. Hanc vero opinionem refutat Augustinus primo ratione, his verbis: *Quasi posset esse imago aliqua, in qua similitudo non sit. Si enim similis omnino non est, profecto nec imago est.* Secundo auctoritate Jacobi 3, dicentis: *In ipsa* (utique lingua) *benedicimus Deum, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt*, et similia fere habet idem Augustinus, q. 4, in Deuter.

30. *Secunda sententia.*—Nihilominus est alia sententia, quæ illa duo verba *imaginis* et *similitudinis* distinguit, et prius ad naturam, posterius ad gratiam refert, ac si dictum esset: Faciamus hominem ad nostram imaginem secundum suam naturam, et nobis similem in gratia. Ita fere Ambrosius, lib. de Dignit. condit. human. cap. 2 et 3, et lib. 6, Exaemer., cap. 7 et 8, Origenes, lib. 3, Periarch., cap. 6, Chrysostomus, homil. 9, in Genes., Basilius, hom. 10, et Gregorius Nyssenus, homil. de Creat. homin., et Theodoretus, quæst. 20, in Genes. et ibid. Eucherius, lib. 1, et significat Hieronymus, in id Ezech. 28: *Tu signaculum similitudinis*, dicens, *Notandum, quod imago tunc facta sit tantum, similitudo in Baptismo compleatur*. Idem indicat Irenæus, libro 5, contra hæresias, capite quinto, dicens. Propter effusionem spiritus spiritualis, et perfectus homo factus est, et hic est, qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. Et hoc declarans, subdit: *Si defuerit animæ spiritus animalis est, vere imaginem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per spiritum.*

31. *Assertio quinta seu auctoris judicium de utraque sententia.*—Fundamentum hujus sententiæ esse potest, quia non est credendum, illa verba esse addita distincta, sine aliquo mysterio, et peculiari utriusque vocis significatione. Unde etiam Damascenus, lib. 2, c. 12, dixit imaginem vim intelligendi, et arbitrii libertatem significare: similitudinem vero virtutis, quoad ejus fieri potest, perfectionem. Et confirmari etiam potest, quia cum homo justificatur, dicitur *renovari secundum imaginem ejus, qui creavit illum*, ad Colos. 3. In quo significatur, hominem esse ad imaginem, etiamsi non sit renovatus per gratiam, per quam renovatur ad similitudinem, ut videtur exponere Augustinus, lib. cont. Adimant., cap. 5. Propter quæ sententia hæc est etiam valde probabilis. Existimo tamen priorem esse maxime litteralem, et primarium sensum continere: hanc vero posteriorem esse magis spiritualem, vel ad summum ad secundarium sensum pertinere, vel certe esse quasi explicationem prioris, nam Deus ita fecit hominem ad imaginem suam, ut similitudinem, quam habebat innatam, voluerit per sua dona perficere. Et in eodem sensu dicunt Patres allegati, non solum in principio factum esse hominem ad imaginem Dei, sed etiam quo magis in sanctitate crescit, eo magis ad similitudinem Dei fieri, et tunc esse illam imaginem consummandam, quando *similes ei erimus, et videbimus eum, sicuti est.*

32. *Corollarium ex dictis, hominem peccando non amisisse naturalem imaginem. — De Valentia in libro de peccato originali, cap.* 5.—Ex quibus colligere licet, quid sentiendum sit de sententia dicentium, hominem amisisse imaginem Dei, peccando, quæ fuit sententia Origenis, ut refert Hieronymus, in Epist. 60, ad Joan. Episc. Hierosol., ubi illam ut hæreticam damnat. Idemque habet Epiphanius, in Epist. ad eumdem, et hæres. 70. Quem errorem ita novi hæretici excitarunt et explicarunt, ut de ipsa naturali imagine id affirmaverint, ita esse abolitam, ut amiserit homo arbitrii libertatem et potestatem utendi ratione saltem in rebus honestis. Imo Matthias Illyricus, ut refert Valentius, dixit, hominem peccando transformatum fuisse in vivam et substantialem imaginem diaboli, et amisisse imaginem Dei. Sed in hoc sensu non solum est hæretica hæc sententia, sed etiam insana, quia essentia animæ et potentiæ connaturales illi non amittuntur peccando, nec mutari possunt in seipsis, sed solum in habitibus, aut actibus suis, vel in modo facilius, vel difficilius operandi, quatenus ex corporis dispositione pendent. Et contra illum specialem errorem, quod homo peccando non amiserit arbitrii libertatem, in tractatu de Gratia ostendimus, Prolegom. 4, cap. 7.

33. *Amisisse tamen similitudinem per gratiam.*—In hoc ergo sensu certum sit, hominem peccando non amisisse, nec amittere illam imaginem naturalem Dei, quam ex vi creationis accepit. Quia vero hæc imago ita perficitur per gratiam, ut novam, et singularem Dei similitudinem recipiat, ideo dicunt interdum Patres amisisse hominem peccando imaginem Dei. Et ita exposuit seipsum Augustinus, lib. 2, retract., cap. 24, exponens quod dixerat lib. 6, Genes. ad litter., cap. 24, 27 et 28, scilicet Adam peccando amisisse imaginem Dei. *Non sic accipiendum est* (inquit) *tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet.* Et quamvis hoc magis significasset lib. 83 Quæstionum, quæst. 67, dicens, amisisse hominem signaculum imaginis, nihilominus illam expositionem addit, et Scripturis confirmavit, lib. 1, retract., cap. 26. Et sic etiam dixerunt Cyprianus, in serm. de Bono patient., et Bernardus 1, de Annuntiat., hominem peccando, retenta imagine similitudinem Dei perdidisse, gratiam enim per *similitudinem* intelligunt, juxta secundam expositionem supra datam. Et hoc etiam significavit Augustinus 2, de Genes. contra Manich., cap. 28. Et clarius 12, de Trinit., cap. 11, ubi de primis parentibus dicit, *quod nudati stola prima, pelliceas tunicas mortalitate meruerunt.* Et subdit: *Honor enim hominis verus, est imago et similitudo Dei, quæ non custoditur, nisi ab ipso a quo imprimitur.* Idem sumitur ex eodem in concione 2, in Psalm. 70, circa illa verba: *Deus quis similis tibi?* et Psalm. 72, circa illa verba, *Imaginem illorum ad nihilum redigens* dicens, peccatores imaginem Dei ad nihilum reducere. Et Psalm. 75, non longe a principio: *Factus es, o homo, ad imaginem Dei, per vitam vero perversam exterminasti in te imaginem conditoris tui.* Statim vero addit, *Factus dissimilis*, etc. Neque amplius videtur intendisse Origenes, ut colligi potest ex lib. 3, Periarch., cap. 6.

34. *Sub qua ratione Deus sit exemplar imaginis in homine. — Assertio sexta in ordine.* — Ultimo dicendum superest de termino ad quem formaliter refertur hæc imago tanquam ad suum prototypon. Quamvis enim ex dictis constet, Deum esse primum exemplar hujus imaginis, ac subinde esse terminum relationis ejus, nihilominus quia in Deo multa attributa, et proprietates a nobis considerantur et distinguuntur, ideo breviter explicandum est, an Deus sub aliqua ratione particulari, vel sub omnibus simul sit hujus relationis terminus. Circa quod breviter advertendum est, Deum posse considerari vel ut est unus, vel ut est aliqua determinata persona ex tribus quæ in ipso sunt. Primo ergo certum est, hominem esse factum ad imaginem Dei, ut unus est, ac subinde Deum, ut unum, esse terminum relationis hujus imaginis. Hoc supponit D. Thomas, dicta quæst. 93, art. 5, et omnes theologi, in 2, d. 16, et probatur ex dictis, quia homo est ad imaginem Dei quatenus cum illo convenit in gradu intellectuali, quem ab ipso participat. Sed Deus quatenus est unus in essentia, est in supremo gradu intellectualis naturæ: ergo ut sic est terminus hujus imaginis. Item hæc ratio imaginis consideratur in multis attributis ad unitatem Dei pertinentibus, ut in immortalitate, in immaterialitate, in indivisibilitate, æternitate et similibus. Unde constat Deum non terminare hanc relationem secundum aliquod speciale attributum, sed secundum absolutam Dei essentiam, quatenus includit omnia attributa, quæ a natura intellectuali participari possunt secundum formalem convenientiam cum Deo, quamvis analogam. Et fortasse hac ratione dixit Gregorius Nyssenus supra relatus in num. 26, in fine, cum homo dicitur factus ad similitudinem Dei, nihil aliud significari, nisi factum esse participem omnium bonorum Dei nam quia hæc innumerata sunt (ait) et sigillatim vix enumerari poterant, ideo illo unico generali verbo sunt comprehensa. Nam quia divinitas est plenitudo bonitatis, et imago juxta talem formam similitudinem possidet quamdam, ideo etiam boni plenitudinem participavit.

35. *Assertio septima.* — Deinde dicendum est, hominem factum etiam esse ad imaginem Trinitatis, ac proinde etiam Deum trinum esse terminum hujus imaginis. Ita docet D. Thomas, in d. art. 5, et reliqui scholastici cum Magistro, in 1, distin. 3, estque sententia Augustini, Ambrosii et aliorum Patrum exponentium verba illa. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Exponunt enim, Trinitatem esse, quæ loquitur, ut supra vidimus, unde cum dicit *nostram*, indicare ad imaginem ipsius Trinitatis hominem esse factum. Deinde solet hoc explicari duobus modis, prior est, quia tres potentiæ, scilicet intellectus, memoria, et voluntas in una anima existentes, tres personas in una essentia aliquo modo repræsentant. Ita Magister, in dicta distin. 3, et sumitur ex Ambrosio, libr. de Dignit. human. nat., cap. 2, et ex Augustino, lib. 10 de Trinit., cap. 1. Alter modus, quem magis probat D. Thomas, dicta quæst. 93, art. 7, ad 3, est, ut hæc imago consideretur in anima ut actu intelli-

gente, et amante. Nam quia Trinitas personarum in Deo per processiones intellectus, et voluntatis consurgit, ideo per quamdam participationem illarum processionum completur in anima imago Trinitatis, quatenus intelligendo producit verbum, et diligendo, amorem. Quem modum late prosequitur Augustinus, de Trinitate, cap. 5, et lib. 14, cap. 7, sequentibus, et lib. etiam. 15, et attigit Hilarius 4, de Trinit. et latius in principio tract. de Trinit. explicatur. Potest autem inquiri, an hæc imago sit tantum in cognitione, et amore DEI, vel etiam aliarum rerum, et an in actibus perfectis tantum, vel etiam in imperfectis. Nam Augustinus, in hoc varie loquitur, ut videre licet in D. Thoma, art. 7 et 8. Breviter tamen dicendum est, in omni cognitione, et amore inveniri aliquo modo hanc imaginem, cum majori vero proprietate in amore et cognitione Dei, et tanto perfectiorem, quanto prædicti actus perfectiores fuerint.

36. *Assertio octava.*—Ultimo addendum est, hanc imaginem non referri ad aliquam particularem divinam personam secundum proprietatem peculiarem ejus. Hoc advertimus propter quosdam, qui dixerunt, hominem factum esse ad imaginem filii, et alios, qui addiderunt, factum esse ad similitudinem Spiritus sancti. Quorum primum jam supra refutatum est, et improbatur ab Augustino, lib. 7, de Trinit., cap. ult., et in Imperfect. Genes., cap. etiam ult. in fine, quia non dixit Pater : Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem tuam, sed dictum est, *ad imaginem, et similitudinem nostram.* Quo argumento refellitur, etiam secundum, quia particula *nostram* tam in similitudinem, quam in imaginem cadit; et præterea quia abusive, et sine fundamento dicitur nomine similitudinis Spiritum sanctum ibi significari.

CAPUT IX.

AN PRIMI HOMINES CUM PERFECTA SCIENTIA RERUM NATURALIUM CREATI FUERINT.

4. *Partis negantis argumentum.* — Præter substantiam, et potentias, quas homo in prima productione a suo auctore accepit, inveniuntur aliæ perfectiones ad ordinem naturæ pertinentes, quia naturam perficiunt, et aliquo naturali modo acquiri possunt, ut sunt habitus, et actus, de quibus dicendum est, quomodo primis hominibus concreati fuerint, et præsertim de habitibus, nam actus non sunt facti a solo auctore naturæ, sed ab ipso homine jam producto. Hæ autem perfectiones partim ad cognitionem pertinent, partim ad voluntatem. De cognitione igitur, quæ prior est, seu scientia est dubium, an homini in sua creatione data fuerit. Est autem ratio dubitandi, quia naturale est homini acquirere cognitionem, et scientiam per sensus, et habitus per actus : sed Deus ita condidit res omnes, ut proprios motus illis agere sinat : ergo etiam hominem ita creavit, ut conferendo ei totam perfectionem, quam in actu primo natura, per se primo, vel secundo postulat, reliquas perfectiones, ipse sibi acquireret : hujusmodi autem sunt scientia, et cognitio : ergo hæc non sunt homini concreata, vel a Deo indita, sed post concreationem sunt ab homine acquisita. Et confirmatur, quia sæpe dictum est, in prima rerum creatione, non esse miracula, vel præternaturalia opera sine evidente necessitate, et auctoritate asserenda : sed habere scientiam infusam non est naturale homini, sed miraculosum, vel supra naturæ ordinem : ergo non est, cur credamus hoc modo esse datam scientiam primis hominibus.

2. *Assertio prima et certa affirmans de scientia naturali Adamo indita.* — Nihilominus certum est, habuisse Adam statim ac fuit a Deo creatus naturalem scientiam a DEO sibi inditam. Hæc est doctrina S. Thomæ, 1, part., quæst. 94 art. 3, et est communis scholasticorum cum Magistro, in 2, distinct. 23. Et probatur primo ex Scriptura, nam Genes. 2, dicitur, paulo post creationem Adæ adducta esse omnia animalia coram ipso, ut eis nomina imponeret, et additur: *Omne quod vocavit Adam animæ viventis ipsum est nomen ejus.* Ex quo loco omnes scholastici colligunt, habuisse tunc Adam scientiam singulorum animalium, ut convenienter ad naturam uniuscujusque eis nomina imponeret. Ita enim exponit dicta verba Eusebius, lib. 11 de Præparat. Evang., cap. 4, nam quod dicitur : *Ipsum est nomen ejus,* exponit, hoc est, in ipsa natura, seu convenienter ad naturam rei impositum est. Hoc autem fieri non poterat, nisi et cum perfecta scientia ipsorum animantium, et cum magna peritia alicujus linguæ, et proprietatis omnium verborum ejus. Unde recte Chyrsostomus, homil. 14, in Genes. inquit : *Quod magna sapientia præditus fuerit, disce ex his, quæ nunc fiunt. Et adduxit illa,* etc., *fecit hoc Deus demonstraturus nobis magnam illius sapientiam.* Et infra : *Ne igitur subito prætereas, sed cogita quanta fuerit sapientia volatilibus,* etc., *et omnibus congrua, et convenientia suæ naturæ imponit nomina.* Et iterum infra : *qui potest congruis nominibus jumenta appellare, et volatilia cœli, et alias bestias quomodo non omnis sapientia, et industria pollet ?*

3. Secundo veritatem hanc videtur expresse docere Sapiens Eccl. 17, dicens : *Creavit Deus de terra hominem.* Et infra : *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Et infra: *et disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala, et bona ostendit eis, posuit oculum suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.* Quæ verba licet generalia videantur, et supernaturalem cognitionem maxime indicent, tamen sine dubio naturalem etiam scientiam comprehendunt : tum quia valde universalia sunt : tum etiam, quia ad perfectam disciplinam intellectus pertinent, quam perfectionem totam complectitur illud verbum, *replevit illos :* tum etiam, quia multa ex operibus Dei per hanc scientiam cognoscuntur, unde etiam deseruit, ut in ejus laudem referantur. Denique ibidem ait Sapiens : *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram : posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum, et volatilium.* Ad usum autem hujus potestatis, et dominii necessaria erat hujusmodi scientia, ut discernere posset mansueta animalia a feris, statim ac illa videret, et absque alio experimento, et sic de cæteris. Quod recte indicavit Chrysostomus, loco citato, ponderando nominum expositionem scientiæ, potestatis, ac dominii signum fuisse, et ad utrumque sine confusione præstandum, magnam sapientiam, imo et industriam (ut ait) necessariam fuisse, quod non potest de industria acquisita intelligi, cum nulla experientia præcessisset. Addi etiam potest illud Eccles. 7 : *Deus fecit hominem rectum,* nam scientia etiam ad quandam rectitudinem pertinet, quia scientia veritatis, rectitudo quædam intellectus est : intellectus autem principalis potentia hominis est, et ideo recte potest hæc rectitudo intellectualis (ut sic dicam) sub absoluta rectitudine comprehendi, quamvis fortasse Sapiens de morali, vel supernaturali præcipue loquatur, ut postea videbimus.

4. *Probatur tandem ratione sumpta tum ex parte Dei, cujus perfecta sunt opera.* — Ultimo confirmatur ratione hæc veritas, quia hominem creari cum perfecta scientia fuit imprimis convenientissimum ex parte Dei, cujus opera perfecta sunt : nam hac ratione omnes alias res universi tam corporales, quam spirituales in statu perfecto creavit : ergo et hominem ex corpore, et spiritu compositum, nam et ipsum hominem secundum corpus perfectum creavit: ergo multo magis secundum animam. Nec satisfaciet quis si respondeat, fecisse quidem Deum animam perfectam secundum eas perfectiones, quas a solo auctore naturæ habere poterat, vel per se primo, vel per naturalem, ac necessariam dimanationem cum essentia : non vero quoad alias perfectiones, quas homo suis actibus potest acquirere. Hoc, inquam, non satifacit, tum quia vix potuisset homo scientiam acquirere, nisi prius daretur a Deo, ut statim declarabo; tum etiam, quia corporibus etiam eas perfectiones contulit Deus in principio, quas possunt similia corpora discursu temporis suis actibus comparare, ut patet in statura corporis humani, et in arboribus cum suis fructibus productis : ergo multo magis debuit creare intellectum hominis bene dispositum, et proxime aptum ad fructus mentis producendos. Quod his verbis docuit Moses Barcepha, libro de Paradiso, secunda parte, capite septimo : *Comparavit Deus Adæ mentis sensum, ut procrearet, atque expullulare faceret omnis generis probas cogitationes, meditationibusque tam de rebus, quæ videndi sensu percipi possunt, quam iis, quæ eum sensum effugiunt.* Unde ibidem dixerat, inductum fuisse Adamum in spiritualem, ac felicem vitam, et mirifica affectuum voluptate per meditationes, cogitationes que nulli perturbationi, aut anxietati obnoxias, in morem angelorum, et spiritualium copiarum, recipientemque radios divinarum notionum non aliter atque angeli capiunt. Quæ verba majorem quidem perfectionem intellectus indicant, quam per naturales scientias humanas haberi possit, tamen illam etiam sine dubio includunt : quomodo autem in aliis intelligenda sint, vel limitanda, postea videbimus.

4. *Tum ex parte Adami, cui necessaria erat scientia quadruplici ex capite.* — *Ad argumentum partis negantis num.* 1. — Deinde erat hæc perfectio non solum primo homini, ut particularis persona erat, sed etiam toti generi humano, et Adamo, ut parenti ejus, valde necessaria. Primo ad integritatem, et felicitatem illius status, in quo homo ante peccatum constituebatur, quem in discursu sequentium capitum explicabimus. Secundo, quia si homo ignorans crearetur, ut ipse scientiam sibi acquireret, necessarium esset longo tempore in magna ignoratione versari, quia humana